

Messia: consuetudinem, (vide pag. 26.) *Piscator* in A specie intellectum hoc vult de expectatione consolationis in monte oliveri, ubi anima Christi ad mortem contristata; *Matth.* XXVI, 36.

וַיִּשְׁׁרְטֵנִי *inclinavit ad me:*) scilicet aurem suam, ex *Psal.* XVII, 6. & XXXI, 3. הִפְרֵן אֶזְנוֹי יְיָ יִשְׁׁרְטֵנִי *inclina ad me aurem tuam;* h.e. promptè auscultando petitionem meam exaudivit, vel exaudire solet. Phrasi enim hac describitur gestus arrigentium aures, quando exactius cognoscere desiderant vocem iubmissius loquentis, ne de eadem aliquid fortè prætermittant: quod competere imprimis solet magistratibus, in sede elatiori constitutis, ubi gemebundam exilemque supplicantis vocem non satis possunt capere; tunc namque & caput, & aures & corpus propius solent eidem advertere, verbaque ejus singula curiosè veluti imbibere. Similia omissi accusativi exempla deprehendere licet *Psal.* XVIII, 17. *extendit*, scilicet manum suam: *Psal.* III, 7. *posuerunt*, scilicet aciem vel castra: *Cobel.* VI, 3. *genuerunt centum* videlicet natos: *Psal.* X, 1. *ocultas*, scilicet oculos tuos: *Cobel.* VII, 15. *prolongans*, scilicet dies. Ita supplet etiam (aurem suam) *Vatablus*, *Piscator*, &c. LXX: ἡ ἀποστολή μου. *Vulgatus:* & intendit mihi. *Lutherus* reciprocè: neiget er sich: quomodo etiam *Coccejus:* *inclinavit se.* *Campenis:* *donec præberet se mihi.* *Belgæ:* hy heeft sich tot my gheueicht. Verbum הִפְרֵן significat, situm priorem mutare, sese, vel aliud quid, aliò vertere; declinando v. g. à viâ, *Genes* XXXVIII, 16. de Judâ, ad *Thamarem* deflectente; *Num.* XXII, 23. 33. de afinâ *Bileami:* *Psal.* LXXIII, 2. *declinarunt pedes mei:* &c.) extendendo tentorium, (*Genes* XXXIII, 19. XII, 8. XXVI, 25. &c.) expandendo manum, (*Exod.* VIII, 2. 13. X, 22. &c.) inclinando cor, *Jud.* IX, 3. *Psal.* CXIX, 112: cælum ipsum (& descendere *1. Sam.* XXII, 10. *Psal.* XVIII, 10.) item inclinare semetipsum, *Jud.* XVI, 30. הִפְרֵן אֶזְנוֹי יְיָ *inclinavit se Simson* fortiter, & cecidit domus. *Quare* & h. l. supplendus erit, uti diximus, accusativus ex locis parallelis: vel si strictè literam quis urgeat, ex *Jud.* XVI, 30. *reciprocum* poterimus retinere significatum: *inclinavit Deus semetipsum*, ἀνδρῶν ποικιλῶν videlicet me supplicantem auditorus, atque sic *Aben Esra.*

וַיִּשְׁׁרְטֵנִי *audirvit:*) mente scilicet benignâ manuque subveniente; h. e. exaudivit. *Simplex* *audire* pro compositò, *Exaudire*, ceu sæpius notatum.

וַיִּשְׁׁרְטֵנִי *vociferationem meam:*) ex anxio videlicet summèque presso pectore profectam. וַיִּשְׁׁרְטֵנִי namque, unde nomen hoc וַיִּשְׁׁרְטֵנִי descendit, significat, *vociferari anxie:* vide *Psal.* XXXIV, 16. & XVIII, 7.

EXPLICATIO VERSUS III.

וַיִּשְׁׁרְטֵנִי *adscendere me fecit veleduxit:*) h. e. miram potentemque mihi in extremis angustiis constituto misit opem, non aliter, ac si è profundo puteo, ubi cœnum magis magisque me subfidentem fundoque omni carentem operiebat, & jamjam mortem mihi minabatur miseriam, imò ubi nullus etiam me vociferantem audiebat, audiensve subvenire poterat, nec unquam extraxisset.

וַיִּשְׁׁרְטֵנִי *lacu vel foveâ:*) nomen hoc generatim designat voraginem vel capacitatem aliquam

inferiorem; in specie verò accipitur pro cisternâ effossâ, vel ruri, vel domi, ad colligendas eò aquas pluviales, *Genes* XXXVII, 22. *Exod.* XXI, 33. item pro foveâ ad id paratâ, ut inibi capiantur, *feræ*, 2. *Sam.* XXIII, 20. (leo in medio הַכְּזֵבִי die nivali.) *Psal.* VII, 16, foveam fodit: sic alibi pro puteò, è quò aqua extrahitur fitulâ, *Cobel.* XII, 6. & pro carcere subterraneò, *Jes.* XXIV, 22. *Jerem.* xxxviii, 6. Hinc non rarò etiam metaphoricè æternos damnatorum designat carceres, aut etiam mortuorum mansiones vel sepulchra; (ceu in phrasi *descendere in foveam*, de quâ *Psal.* xxviii, 1. (confer *Psal.* LXXXVII, 7. xxx, 7. *Jesa.* XIV, 19. *Quare* & h. l. indicabitur extrema calamitas, mortisque præsens periculum, ubi undiquaque gravissima aliquem circumvallant urgentque incommoda, ex quibus, quoquò se vertat, nullum apparet effugiendi vestigium; haut aliter atque feris in foveam illapsis solet accidere, quibus omni horâ metuenda est venatoris manus, vide sis B. *Dorschei* 1. 1. *theol. Zach.* p. 86. item *Prov.* I, 12. V, 15.

וַיִּשְׁׁרְטֵנִי *tumultus:*) intelliguntur hîc (interprete *Dorschei* p. 1. *theol. Zach.* pag. 131 & 189.) omnes illæ pœnæ, quas Christus nostri locò & ad expiandum genus humanum toleravit, inter quas etiam pœnæ infernales & mortis spiritualis horrendi aculei &c. ubi strepitus iræ divinæ, horror sententiæ maledictoriæ, miseria imminentium tormentorum, calamitas deficientis solatii, tumultus insultantium malignorum spirituum, hæc ibi. Nomen hoc (à הַכְּזֵבִי *vastari*, *tumultuari*,) designat *clangorem*, *tumultus* graves *conciantem*, v. g. qualis est Dei, *judicium* suum promulgantis *Jerem.* XXV, 31. *Jesa.* LXVI, 6. qualis exultantium *Jes.* XXIV, 8. fluctuum maris strepentium, *Psal.* LXV, 8. *Jesa.* XVII, 12. 13. hostium tumultuantium, *Psal.* LXXIV, 23. ne obliviscaris vocis hostium tuorum, הַכְּזֵבִי *insurgentium* contra te. Sic de strepitu gentium multarum, *Jes.* XIII, 4. V, 14. nec non de tumultu vel *devastatione* ex tumultu subortâ, *Hof.* X, 14. *confurget* הַכְּזֵבִי in populis tuis, & omnes munitiones tuæ vastabuntur: *Amos*, II, 2. mittam ignem in Moab, devorabitque &c. & morietur Moab הַכְּזֵבִי confer *Jerem.* LI, 55. *Jes.* XXV, 5. *Quæ* posterior acceptio convenientior etiam nostro est textui, cum sermo sit de tali lacu, ubi mera ac stupenda vastitas, miseria cunctarumque rerum egestas, imò tumultuosus etiam plurimorum illuc conjectorum strepitus, vociferationes, ululatus. Hinc *Münsterus* reddit: è *stupendo:* (lacu.) *Vatablus:* è *cisternâ perstrepenste*, & in schol. inquam aquæ decidunt magnò cum impetu: aut de puteò, in quò aquæ nimia agitatione perstrepebant, & sonitum edebant. *Lutherus* olim: *Grube des Brausens/ postea:* *grausamen Grube.* *Piscator:* *aus der brausenden oder rauschenden Grube.* Illustrari hoc poterit ex historiâ hydrophylaciorum, quorum *Kircherus* meminit 1. 1. *mundi sub.* f. 234. v. g. in *Nicarogua* America provinciâ, ubi ad ingentem lacum crypta est vastissima, intra cujus recessus intimos penetrantes barbari, vastissimum lacum instar maris sine terminò reperiri asserunt, in eòque tam horrendas aquarum catadupas tamque formidabilem sonum percipi, ut nisi statim pedem referant, sonitu obfudescant. Idem testatur *Olaus M.* de cavernosis *Bornia* littoribus: & de ingente cryptâ ad lacum *Fuci-*